

479.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.  
DE  
**VENÆ SECTIONIS**  
**USU IN SENIBUS,**  
Quam  
**AUXILIANTE DEO**  
&  
**GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU**  
in  
**REGIA VIADRINA.**  
**PRÆSIDE**  
**DN. JOH. GEORG. à BERGEN,**  
MED. DOCT. & PROF. PUBL. ORDIN.  
FAUTORE AC PRÆCEPTORE SINGULARITER COLENDO,  
DEVENERANDO,  
**PRO LICENTIA**  
**SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES**  
**ET PRIVILEGIA LEGITIME IMPETRANDI,**  
AD DIEM XXIV. MAJI A. MDCC XXVI.  
Placido Examini submittit  
AUTHOR  
**JOACHIMUS HORN,**  
Beescov. Marchicus.


---

FRANCOF. ad VIADR. Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII, Acad. Typ.

XXIII.







## PROOEMIUM.

**E**A est vitæ animalis conditio, ut primordia sua capiat in fluido, cuius abstrusis & plane inperscrutabilibus motibus viscerum vasculosa structura sensim evolvitur & explicatur, forma totius corpusculi in conspectum prodit, partes omnes certo annorum decursu insignem activitatem, naturalem suam nanciscuntur soliditatem, in qua postquam per statum vitæ tempus substitere, ultimum extensionis suæ terminum consecutæ, quasi explicari amplius nesciæ, durescere, paulatim siccescere, contrahi, extenuari incipiunt, donec ad extremam rigiditatem redactæ toti machinæ ob systaltici motus defectum torporem & mortem inferant. Vitæ animalis hoc initium, talis progressus & ab origine pendens finis naturalis, mors est. Quemadmo-

modum igitur senum corpora nihil evidentius  
sistunt, quam prædictam partium siccitatem &  
duritię, ita nihil melius hanc tēperat, demulcit  
& procul magis arcet, quam succorum & san-  
guinis moderata copia, blandusque & aqua-  
bilis horum circuitus, quo partes solidae omnes  
mutua vicissitudine implentur & deplentur  
qua aetione & reactione stante vita perennat  
& conservatur. Sive autem ex decrepita pla-  
ne aetate, vel à jugi excercitatione partes cor-  
poris solidae rigescant, sive ex fluidorum in-  
genti jactura, aut juxta variam partium agen-  
di & resistendi potentiam alii maturius, alii  
serius, consenescant, perinde sequitur fibra-  
rum illa durities, corporis languor, tandem  
que inevitabilis interitus. Hunc vero quoni-  
am non pauci temere & inconsulte in senibus  
celebrata VSectione anticipant, operæ preti-  
um esse duxi, præsenti specimine de VSectionis  
usu in senibus brevibus differere. Quem  
conatum ut Deus T. O. M. clementer fortu-  
net, ardentissimis suspiriis & precibus eundem  
oro atque obtulit; Te vero, Lector bene-  
vole, ut laborem hunc æqui bonique consulas,  
obnixe simul rogo.

THE-



### THESIS I.



anguinem vitæ animalis fontem, pretiosum vitæ thesaurum, vitæ necisque arbitrum qui pronuntiant, idque potissimum ex hoc, quod naturalis ejus motus & peridromus cum vita animalium ubique pariter ambulet, quod in viventium corporibus primum vivens & ultimum moriens nonnullis dicatur, quod ante viscerum omnium productionem, ante organicam illorum structuram in ovis incubatis quarto jam fatus die, ceu tremulum quiddam & subfultans punctum expurgiscens viscerum sensim fabricam moliatur, tandemque partium omnium lineamenta describat, tantum abest ut hi V. Sectionem inter chirurgica artis praesidia, morborumque remedia admittant, aut commendent, ut eandem potius è foro medico, ceu profusi sanguinis acerrimi vindices, penitus proscribant, ac generosum hoc remedium, nescio quibus non convitiis miserrime conspurcent ac proscindant; quorum utique inter antiquos æque ac recentiores non minimus est numerus. Juvat hic tantum

tum nominasse ex illis Chrysippum, Erasistratum & ejus perplures asseclas, ex his Theophr. Paracelsum, Helmontium, Bontecovium, Gehemam in Tract. von den Mordmitteln & Musitanum, qui postremus eo plane vesaniæ, dicam ne furoris, processit, ut verbis apertissimis scribere, V. Sectionem in perniciem hominum à diabolo inventam esse, omnesque qui morbis V. Sectione dextre medentur, turpi sanguinariorum titulo infamare veritus non sit. *Vid. ejusdem Trutin. Med. L. II. Cap. VI. p. m. 424.* non obstante, quod ab Hippocratis, multoque alio retro tempore inter Græcos, Arabes & Latinos ejus usus in quacunque fere ætate fuerit celebratissimus, aliorum, & in primis recentiorum deinceps experientia & multiplicibus observationibus admodum stabilitus & confirmatus; quemadmodum hodienum maxime inter Gallos adhuc obtinere, nemini ignotum esse potest, utpote qui vicibus repetitis quantitatem sanguinis largissimam, quam veteres una vice ad animi usque deliquium detrahebant, evacuare solent.

## THESES II.

Quamvis igitur id laboris mihi non sumam, ut argumenta excutiam, atque ad rationis obruffamducere velim omnia, quibus passim à Medicis V. Sectione in quacunque, tenera, adultra, consistente & decrepita ætate vel probetur vel damnetur, quandoquidem id ipsum jam dudum ab aliis ante me ad factum est, neque operæ nonnisi supervacuæ esse existimem V. Sectionis, quæ nemini ignota est & per quam

quam communiter sanguinis e vena incisa aut pertusa misio intelligitur, prolixam definitionē dare, id nihilominus mearum partium fore facile prævideo, ut cum Speciminis Inauguralis loco de VSectionis usu in Senibus tantum agere decreverim, specialius nunc paulo disquiram, quodnam verum & adæquatum in senibus VSectionis indicans sit? quibus proprie senibus, quo in senii gradu constitutis, cuius temperamenti & constitutionis, conferat adeoque competit VSectionis? Quibus autem ex adverso noceat? Coronidis loco subjunctis, quæ Medicorum probatissimorum praxis & fida experientia de VS. usu in senibus unumquemque doceat.

## THESIS III.

Uti vero quodlibet artis auxilium sive remedium suum habet indicans, quod illud ejusque usum exigat, & necessario quasi requirat, ita VSectionis tam in senili quam in quacunque alia ætate verum & genuinum indicans est sanguinis copia & abundantia, plethoræ vocabulo insignita, eaque potissimum agitata vel commota universalis vel particuliaris, vera vel Spuria; Evidem nonnullis dubium videtur, utrum re vera dentur senes plethorici, & consequenter plethora in senio occurrat. Ast existimo, me multis rationibus inductum affirmativam recte tueri posse; Etenim quod plethoram fine motus excessu spectatam attinet, testatur experientia, senes in viridi & cruda senectute constitutos, munera civilia alacriter obeuntes, sanguineos & plethorios occurrere quam plurimos, subinde quoque valido & robusto fatis corpore præditos alias

conspici, qui bene edunt, bene digerunt, placide dormiunt, excernenda rite excernunt, non multum vero ob vitam sedentariam & otiosam, rude quasi donati, iterum absunt; adeoque nihil e corpore fere dissipant, omnia retinent, qui necessario plethoram exinde contrahunt, atque apoplectis affectibus propterea valde opportuni sunt. Sicuti in sene decrepitæ ætatis, annos jam octoginta quinque nato, roseum vultum, sanguinisq; molem speciosam suo tempore vidit, & miratus est Job. Nicol. *Pechlinus* de quo relatum accepit, singulis, binis, ternis, quaternis septimanis jam inde à juventute eidem sanguinem per nares stillasse, hac autem evacuatione deficiente lethargo tandem oppressum interisse vid. ejusd. *Observat. Physic. Medic. Lib. II. Obs. IX. p. m. 221.* Mitto quod constantis observationis est, plethoricos & hæmorrhoidarios à talibus generari, atque utramque corporis constitutionem ad extremum usq; senium circumferre. Hinc Galenus *Lib. de rat. Cur. per Sangu. Miss. Cap. 13.* generaliter licet VSectionem fenibus interdicens, ubi Plethoram V. Sectionem coindicare advertit, etiam seni septuagenario venam perforare præcipit, passimque alii praticorum in fenibus apoplexia correptis sanguineis & plethoricis, ut ex orci faucibus eosdem subito eripiant, ad VSectionem, & quidem interdum satis largam, tanquam ad unicam salutis anchoram non infeliciter configiunt. vid. *Christ. Langii Oper. Medic. Tom. I. p. m. 737.*

THE-

## THESES IV.

Neque minus experientia compertum est, senes plethoricos vel vehementioribus aliquando animi affectibus abreptos, oestro iracundiae percitos, vel ebrietate nimia, calidorum in primis vinorum abusu inducta, vel corporis vehementiori exercitio in aere calido facto, adeoque plethora agitata in gravissima vitae pericula & morbos sese præcipitare, è quibus vix eluctantur, nec alio remedio liberantur, quam ex pedita VSectione, plenitudini & viribus naturæ proportionata.

## THESES V.

Silentio præterea plane præterire nequeo, duplum passim à Medicis plethoram recenseri, unam ad vasa, alteram ad vires, prior consistere videtur in vasorum sanguiferorum per corpus universum à sanguinis copia expansione, dilatatione, turgescentia, habitu corporis laxo molli & florido cum pulsu pleno & valido, sine notabili vel manifesto corporis incommodo, posterior ex sanguinis vitio, tum vel nimis pituitosus, vel biliosus, vel serosus, vel flatulentus est, obicem ponit partium functionibus, ut cum prædicta plenitudine languorem corporis simul inferat, estque hæc prioris interdum consequens & productum. Utramque tamen in senibus observari experientia non repugnat, licet posterioris exempla saltem longe rariora & in senibus non nisi seræ & effectæ senectutis observabilia. Nec obstat sententiæ meæ Hippocrates Sect. III. Aphoris. 31. plerosque senum morbos

bos referens, nullam vero inter illos mentionem faciens plethoræ, quandoquidem hoc loco maturæ & decrepitæ ætatis morbos commemorat, in qua plethora, rarius vel nunquam datur, senum corporibus extentib⁹ exsanguibus exuccis & marcidis. Patet ergo ex allatis, præter juniores & mediæ ætatis homines etiam senes plethoralaborare, quæ si necessitas postulaverit, perprompte V Sectione tollitur.

## THESIS VI.

Quibus autem senibus porro, & in quo senii gradu viventibus proprie conveniat V Sectio, nunc specialius mihi disquirendum & determinandum venit. Ubi ante omnia ætatis senilis rationem à me habendam esse maximam unusquisque statim advertit, quo patescat, quæ speciatim ætas senilis, & quales Senes, V Sectionem admittant, tolerantque. Hippocrates senectutem morbum dicens, senum pro ultimo vitæ termino, proximo ad interitum gradu, habet, adeoque per senectutem ætatem extremam & decrepitam intelligere videatur. Galenus L. III. Aphorism. Comment. 27. vitam hominis in sex partes dividens totidem ætatis differentias facit, sextam vero vitæ partem, scil. senectutem, Lib. V. de tuenda valetudine in tres partes denuo partitur, scil. in primam eorum qui ἀμογέποντες, id est viridi senectute prædicti sunt, commode satis munera quævis civilia obeuntes. Secundam illorum qui cani omnino sunt. Tertiam istorum in quibus functionum omnium est extrema debilitas, sub qua senes incurvantur, qui Latinis Silicernia,

Græ-

Græcis πάρπαι dicuntur, vid. Job. Varandæi de Natura hum. Sect. VII. p. m. 702. A qua Galeni triplici ætatis differentia non multum quoque ab ludit communis Medicorum sententia, qua triplicem itidem afferunt senectutem Primam crudam & vegetam, ab anno ætatis quinquagesimo ad sexagesimum vel sexagesimum tertium, sub qua ad rem publicam & negotia civilia gerenda senes sic fatis idonei sunt. Secundam ab anno sexagesimo usque ad septuagesimum, sub qua ob virium imbecillitatem civilia negotia amplius obire nequeunt. Tertiam postremam, ab anno septuagesimo usque ad finem vitæ, quæ ætas decrepita, marasmus senilis, aliis tabis genus & proprie Senium dicitur. vid. Fabr. Bartholæi Encyclopæd Hermet. dogmat: cap. IV. p. m. 23. Job. Franc. Leonis ab Erlsfeldt Comment. ad Hippocrat. aphorism. p. m. 434. Frid. Hoffmanni dissert. de valetuine senum tuenda.

## THESIS VII.

In quocunque tamen partes ab aliis dividatur senilis ætas, certum & naturæ & conditioni corporis humani maxime consentaneum est, ætatem ex certo annorum numero non esse definiendam, neque æstimandam, adeoque VSectionem & ejus usum nullo stato annorum decursu & termino circumscriri, nec ab ætate generatim bonam VSectionis indicationem formari posse; Etenim licet imperitum vulgus ante pubertatem & post sexagesimum ætatis annum VSectionem non admittat vid. Wolf. Hæferi Hercul. med. Lib. VII. p. m. 315. diuque jam in scholis Medicorum controversum fuerit, num se-

B

nium

niūm VSectionem omnem disvadeat, hac super re plurimis argumentis olim inter se certantibus Horat. Augenio Lib. de sanguinis missione & Alexandr. Massaria, illo in senibus VSectionem admittente, hoc illius sententiam infirmante; rationalis tamen quivis Medicus non æque ad annorum numerum, quam ad corporis vigorem, ad naturæ robur & vires prudenter respicit, quibus præsentibus beneque constitutis, si necessitas postulaverit, VSectionem senibus etiam tutissime imperat. Egregie plane in hanc rem commentatur, mentemque suam aperit Cornel: Celsus, inquiens, inter est non quæ ætas sit, neque quid in corpore vitii geratur, sed quæ vires sint. Ergo si juvenis imbecillus est, aut si mulier quæ gravida non est, parum valet, male sanguis mittitur. At firmus puer, & robustus senex & gravida mulier valens, tuto sic curantur vid. ejusd. Lib. II. de Medic. cap. 10. p. m. 77. 78. Cui in hoc rectissime quoque adstipulatur Daniel: Sennertus scribens; Hoc tamen de ætate in genere tenendum, cum ea non per se, sed virium vel præsentium vel futurarum interventu VSectionem permittat; non hic tam annorum numero, quam habitu ac virium robori attendendum, videndumque non solum, quam diu quis vixerit, sed quantum adsit virium, cum fieri posse, ut septuagenarius facilius ferat VSectionem, quam alius nondum sexaginta annos natus. vid. ejusd. Inßit. Medic. Lib. V P 2. Sect. I. cap. 17. p. m. 1165. Quibuscum merito conferantur super hoc argamento verba Friederici Schraderi de V Sectione in Senibus ita scribentis Puto cum discrimine hic esse loquendum, scil. in senibus & ipsis etiam septuagenariis VSectionem institui posse

cum

*cum Galeno quidem fatemur: non tamen sine sonica causa & urgentissima necessitate id faciendum esse, atque hac praesente non ad ipsam etatem ita, quam ad virium robur respiciendum, quod si proportionem cum remedio hoc non habeat, nec mittendus facile seni sanguis vid. ejusd. dissert. de Praefidiis Senectutis art. XIX.*

## THESES VIII.

Ex quibus liquidum nunc est, & sponte quasi ex allatis fluit, quibus speciatim senibus, in quo senectutis gradu degentibus V Sectio conveniat aut noceat; Id quod in sequentibus mihi prolixius jam adhuc demonstrandum erit. Et quidem constat apertissime, competere V Sectionem senibus plethoricis, robustis & vegetis, cujuscunque sint senectutis, maxime si a causa quadam præternaturali Plethora in orgasmum nimium concitetur, tum quippe urgens præsto est V Sectionis indicans, necnulla suppetit in contrarium ratio, quæ V Sectionem vel disvadeat vel impedit. Non infrequens senibus hujusmodi temperamenti & constitutio-  
nis est periculum vel apoplexiæ vel aliorum affe-  
ctuum soporosorum ab ingluvie & ebrietate, ma-  
xime si eodem tempore ab externo aëris frigore  
habitus corporis stringatur & impetus fluidorum  
ad cerebrum fiat, quo in casu ad avertendum mor-  
bum & præoccupandum vitæ periculum miræ effi-  
catiæ erit V Sectio, quando quidem teste Olaø Borri-  
chio notatu dignum est, hominem ebrium secta Ve-  
na evasisse sobrium vid. Act. Hassn. Med. Vol. 5.  
obseruat 72. p. m. 120. 121. Sic & plurimum confert

VSectione senibus hæmorrhoidariis, laute viventibus,  
 quibus fluxus hic, si libere successerit, summo utique  
 emolumento est. Si vero contigerit, eundem ante ul-  
 timam senectutem impediri aut plane intercipi, ni-  
 hil obstat; cur non talibus senibus in partibus inferi-  
 oribus vena aperiatur; quoniam sanguinis excretio,  
 quæ per hæmorrhoides fit, nō differt a VSectione, quā  
 quod in illa spontaneo naturæ molimine, in hac  
 vero destinato consilio vas sanguiferum aperitur.  
 Nec multum ab hac senum conditione abludit il-  
 la mulierum, quando terminum cessationis men-  
 struorum supergressæ, pridem plethoricæ, profuse  
 menstruantes VSectionem tanquam vicarium flu-  
 xus menstrui remedium in futurum vel negligunt  
 vel per intervalla admittunt; priores enim ex ne-  
 glecta VSectione vel capiti, doloribus vel nephri-  
 tis vel arthriticis, hysterico colicis, convulsivis pa-  
 thematibus corripiuntur, a quibus omnibus poste-  
 riores plane vivunt immunes. Unde verissime  
*Hippocrates inquit Set. VI Aphorism. 29. mulierem*  
*zam podagra non laborare, nisi menstrua defecerint.* aut  
 quod idem est in annosioribus, vicaria evacua-  
 tio neglecta fuerit. Quo instituto etiam in  
 muliere nobili laudabilis constitutionis VSectionē  
 ad octogesimum ætatis annum feliciter continua-  
 tam fuisse ex Trincavello allegatum legere licet  
 apud *Mich. Ettmull. Institut - Medic. Therap. Class.*  
*I. Cap. I. p. m. 283.*

THE-

(13.)

THEISIS IX.

Ventriculus porro quemadmodum maximum habet consensum cum omnibus fere corporis partibus, ita ab ejus labore reliqui totius corporis vigor dependet plurimum; hic enim optimus naturæ virium promus condus est, ac ob arctissimum nexus universi corporis affectionibus consonus, omnibus partium bonis congaudens, nullis non malis compatiens deprehenditur. Hinc ventriculo ægrotante & reliquum corpus langvet, vegeto autem existente, vividum admodum est. Qua de causa etiam in senibus, quorum ventriculus bene appetit, perfecte digerit, tanto minor a V Sectione metus est, quanto citius laudabili chylo detracta sanguinis portio refarciri possit, quibus proinde, si quidem causa quædam urgens adsit, rectissime convenit & prodeat V Sectio Conf. Frid. Hoffmanni dissert. de V Sectionis prud. administrat.

THEISIS X.

Nec floccipendenda plane est consuetudo, in primis anniversaria illa, quibusdam sollicite à plurimis retro annis observata, tandemque quasi in habitum transiens, ut sanguinem senes profundere necesse habeant, quandoquidem hic in nonnullis organis suum variis prodere indicis scil. vel pulsu, vel dolore, vel prurigine in ipso illo nævo, quem pristini iectus intulere, sicque veluti instinctu quodam ad locum, quo pridem emitte cœperat, propare soleat. Sicuti senex annum jam septuagesimum quintum agens notus est Clar. D. Præsid: qui licet

B 3

cor-

corpore videatur marcidus & edentulus fere sit, vegetus tamen adhuc est, bene appetit cum vasorum sanguiferorum ingenti plenitudine & turgescientia. Hic nisi quotannis VSectionem repeatat, lassitudine totius corporis, temulentia, capitis doloribus, variisque tentatur morbis, quibus mendidis hucusque feliciter VSectionem adhibuit. Interea tamen ubi ulteriori ætatis progressu vigor naturæ jam multum remittere, ac ætas extrema & occidua sensim appropinquare incipit, consultum amplius non est, feni fanguinem mittere, licet antea illud factum fuerit, quoniam factum pignoris vitæ dispendium non tam facile refarciri potest.

## THESES XI.

Cæterum nullius ponderis nec valoris esse existimo, argumentum Bontekovii, quo à lampadis oleo detraçto, flammaque inde exstincta argumentatur ad vitam hominis, sanguinis missione labefactandam vel plane destruendam, eodemque VSectionis usum disfavare conatur; etenim hoc posterius argumentum illud longe non probat; atque licet verissimum sit, lampadis flammam oleo consumpto vel detraçto extingui, non minus tamen verum est, abundante olei copia & quantitate nimia flammam similiter opprimi: id quod exemplo molarum aquaticarum evidentissimum est, quæ alluvie quidem moderata rite in gyrum aguntur, verum à nimio etiam aquarum affluxu earundem motus penitus intervertitur & destruitur. Plenitudinis autem & repletionis nimiae, quam præstissime

tissime tollit VSectionio, in corporibus humanis, in primis apoplecticis, pleuriticis, febricitantibus, longe frequentiores occurunt observationes, quam sanguinis defectu & inopia peccantis; nec nisi perrarum est, quemquam plethoricorum à largissimis, utcunque etiam criticis, hæmorrhagiis interire; ut adeo potiori jure præ VSectione administranda, quam eadem prohibenda militandum sit, si causa fontica illam postulaverit.

## THESES XII.

Ex haec tenus dictis dum abunde liquet, quibus senibus VSectionio conveniat, restat demonstrandum, quibus ex adverso noceat. Ut ergo naturæ robur & vigor, concurrente VSectionis indicante, in senibus cuiusvis etiam ætatis, VSectionem libere admittit; Ita ex opposito summa senum infirmitas & virium defectus VSectionem prohibent & impediunt. Quare per se manifestum fit, decrepitam ætatem, sub qua corpus marcescere incipit, vigor omnis naturæ perit, partes solidæ ob siccitatem nimiam exarescentes potiorem suam activitatem jam amittunt, nullam tolerare VSectionem, & moribundum senem præcipitare, quisquis reliquum viæ calorem cum sanguine profuderit, rectissime judicante Job. Fernelio Therapeut. Universal Lib. II. cap. XI. p.m. 199. Imo senum, teste Galeno, omnia corporis mala majora habens, ob hanc debilitatem cautum admodum circa universalia, & in primis VSectionis usum, deposcere Medicum, prudentissime monet Gunt. Christop. Schellhammer Diss. de morbis ætatum Cap. III. Sect. IV.

*Sect. IV. p. 51.* (2)do periculosa est VSectionis senibus ventriculi & intestinorum morbo laborantibus, ut cunque in primo vel secundo senectutis gradu constitutis. Omnibus enim etiam ad senectutem nondum progressis, mala vero digestione & corporis languore laborantibus, si sanguis nunquam mitendus sit, docente *Cel. Aurelian. de Epilepsia Lib. IV. p. m. 299.* Imo ne mulieribus quidem menstruis defecatis ex alio morbo antegresso adhuc languidis VSectionis tuto imperari non possit nec debeat teste *Frid. Hoffmann. in Dissert. de prudenti VSectionis administratione p. 34.* Quidni senibus ventriculi atonia affectis suspicita & damnosa esset VSectionis? utpote qua quisque temerarius artisque medendi imperitus senum ætatem abrumpit magis, quam reficit vel restaurat (3)atio nec amplius tutam sed noxiā esse VSectionem senibus sensuum cum internorum tum externorum vigore aetū destitutis, functionum vitalium notabili languore, habituq; corporis pravo, lurido & cachectico jam laborantibus; omnia enim hæc à partium solidarum nimia duritie, siccitate, coarctatione, motus tonici ablatione, quæ vitia senectutem presso pede sequuntur, maxime in exilissimis musculorum & vasculorum tubulis, suam unice trahunt originem; Unde fluidorum motus per viscera, totiusque corporis compaginem intervertitur & impeditur, naturales tam secretiones quam excretiones, corpus ejusque humores à putredine & corruptione alias præservantes, fistuntur, fluida multis fôrdibus & impuritatibus inquinantur, totaque

que sensim machina lento gradu tendit ad omniam quietem, sive mortem: id quod eleganter expressit D. Hequet, inquiens: *ætas non ex annorum numero, neque ex liquidorum indole, sed ex solidorum conditione definienda.* Etatis enim mensura hic est partium agilitas, aut virium potentia, quæ venit à molli partium elaterio sive systaltica vi, quæ solidis propria est. At sub senectute, quæ tabis genus est, humore defectæ partes durescunt, & à sua flexibilitate deficentes de elaterio perdunt. Unde ut contradictionibus, sic & excretionibus obvniis sunt impares. vid. ejusd. Tract. de purganda Medic. à Curarum sordibus cap. XXII. p. 278. Cum vero probabile admodum sit, a detracto senibus grandævis sanguine partium solidarum superstitem mollitiem & flexilitatem mirum quantum imminui, indeque ad celeriorem ficcitatem & rigiditatem magis disponi, justissimus omnino metus est, ne sanguinis missione sensuum omnium gravior læsio, functionumque vitalium major abolitio sequatur; sicuti ejus rei exemplum ab Olao Borrichio proditum legere licet in sene sexagenario, qui a VSectione, cujus necessitatem febris & plethora imposuerant, in oblivionem incidit, memoria statim post evacuationem vacillante, neque unquam integra redeunte vid. Act. Haffnienf. Med. Vol. V. obs. 71. p. m. 169. Quo cum merito conferas VSectionem, loquelæ, memoriae & rationis imbecillitatis causam vid. Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. Art. V. p. m. 280. ut & VSectionem visus imbecillitatis causam. Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. A. V. p. m. 292.

C

THE-

## THESIS XIII.

Neque minus (4) certum est ex morbo & imprimis diuturno, convalescentes plerumque tarde pristinas vires colligere, atq; proinde languidores observari, ob quā causam VSectione iis adhibenda non est. Idem ergo si occurrat in senibus, nec aliud esto de VSectione judicium; cum viribus senem languidum magis privet atque enervet. Hippocrates tamen maximum successum V Sectionis in homine diuturno morbo conflictato, aliis remediis in cassum adhibitis, memorat. *Lib. Epidem: V.n. 2.* cuius rei ratio a diverso Græciæ climate, ipsiusque ægrotantis individuali constitutione fine dubio est arcessenda.

## THESIS XIV.

Supersunt adhuc, quæ experientia & probatissimorum Practicorum observationes de VSectione in senibus facta, ejusque utilitate passim suggerunt & subministrant, in medium afferenda; fateorque non mediocrem talium observationum silvam in spatioſiſſimo rerum medicarum campo passim reperi & conspici, quarum aliquod scopo meo apprime inservientes adduxisse expediet. Viduam proinde sexagenariam, cui ter ſecta Vena effet, ſeptimo morbi die, valde licet debilem, præter opinionem tamen convaluiſſe legas apud *Guil. Ballonium de sanguinis Miffione Lib. II. Epidem in Labyrinth. extricat Med. Lib. IV. p. m. 144.* Verulæ octoginta novem annos egressæ, itemque cognatae ejus septuaginta octo annorum, ut & senatori octogesimum ſecundū annum jam egresso contra miſtum cruentum VSectionem

onem feliciter cessisse testis est. *Georg. Volcamerus* in  
*Theoph. Bonet. Med. Septentr.*: P. II. Lib. VIII. p. IV.  
Sect. 2. p. m. 759. Item *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. A. II. obs.*  
CXXII. p. m. 322. Tantopere in senibus pleuriticis a *Laz.*  
*Riverio* commendatam VSnem *Vid. ejusd. Prax. Med.*  
*Lib. VII. Cap. de Pleurit.* p. m. 251. fauste celebratam legas  
in sene decrepito octogenario pleuritico. Apud *Vit.*  
*Riedlinum in Curar. Med. Centur. X. Curat.* 646. p. m. 665.  
666. In septuagenario feliciter institutam Venæ  
Sectionem notat Herman. Grube, in plus quam  
septuagenario, item in fœmina septuagesimum an-  
num degente erysipelas compesci non potuisse, ni-  
si erepto sanguine, refert *Georg. Wolffg. Wedelius*. In  
octogenario salutariter VSectionis factæ meminit  
P. Forestus, in nonagenario Volcamerus & in illu-  
stribus personis plurimis, octoginta annos jam  
transgressis, feliciter administratam se vidisse VSec-  
tionem meminit *Elias Rud. Camerarius*. *Vid. ejus Va-*  
*letudinar. senil. Cap. VII. art. VI. p. m. 40.* Quo referas  
quoque exemplum Ludovici XIV. Regis Galliae,  
quem anno ætatis septuagesimo septimo mortu-  
um, aliquot tamen ante obitum annis iteratam V.  
Sectionem in se ipso non infauste expertum fuisse pu-  
blicæ testatæ pridem sunt novellæ. Ut nec hic præte-  
reunda sunt ex recentissimis observationibus verba  
*Frid. Hoffmanni, referentis. Novimus certe plures, qui subtrahit*  
quotannis aliquoties e *Vena sanguine, ætatem, que robustissimis*  
etiam satis longa est, impleverunt, & annum octogesimum  
quartum & sextum exceperunt. *Vid. ejusd. Dissert. de Valetud.*  
*senum tuenda art. XXXVII. p. 31.* Ex quibus omnibus,  
pluribus quæ in hanc rem adhuc adduci possent,  
prætermisis, plus satis cuivis constare posse arbri-  
tror, quid experientia de VSectionis usu in se-  
nibus haætenus docuerit.

F I N I S.



**S**hr / die ißt Ver' und Reim' durch üble Misstrung führt/  
Euch über Sylb' und Wort' und Einfalt bald mocquirt/  
Und glaubt dem blauen Dunst : Ihr seyd die Klugheits-Lichter/  
Die Pallas auf der Welt am höchsten aufgesteckt ;  
Was? Pallas? die Natur im Zorne ausgeheft/  
Vergescht die kleine Schrift / ihr ungerechte Richter !  
Das Talionis Jus das schwer' ich euch sonst zu /  
Wollt ihr nun ruhig seyn ? gönnt mir auch meine Ruh !  
Doch Sapienti sat, ich will das beste denken !  
Mein allerliebster Horn/ Dein Doctor-Tittel macht/  
Dass ich aus Liebe/ Dir ein Ständgen hier gebracht,  
O/ las mein Leyern Dich ergözen/ und nicht kränken !  
Die spröde Poësie hat mich niemahls geliebt/  
Die manchen Tag und Nacht / viel süsse Mäulchen gibet  
Und thut mit Ihnen schön/ das kan und will ich leiden/  
Schlägt nur mein Hossen ein/ daß Dich mein Reim erquickt/  
Den Schweiß und Stoppelwerk zusammen hat geflickt/  
Ich und Hans Sachse will die Lorbernen gerne meiden !  
Der Höchste/ der regiert das hohe Sternen-Haus /  
Der schütte über Dich das Horn des Henles aus /  
Es muss so viel Wohl um Deine Scheitel schwieben/  
Als die Poeten-Kunst verwegne Stümper findet/  
Die alle/ durch und durch/ Mit Brüder von mir sind/  
Die aber/ unverschäm't/ es leugnen / weil sie leben ;  
Als Jungfern/ weit und breit/ der Kopff nach Doctern steht ;  
Als falscher Wahn berückt/ der in dem Schwange geht/  
Wenn Pöbels Einfalt meint : Lasst einen Kirch-Hoff bauen /  
Ein neuer Doctor kommt/ der alt' ist ihm zu klein /  
Er wird/ habt Acht darauf/ gar bald gefülltet sehn /  
Dem mag ich keinen Hund/ geschweige mich/ vertrauen !  
Nun werthgeschätzter Freund/ leb' wol/ leb' stets vergnügt/  
Wenn eine Maladie Dein freies Herz bekriegt/  
Die Du nicht heilen kanst/ die süsse Schmerzen führet /  
So wünsch ich Dir darzu gleich eine Doctorin.  
Die Jungfer/ oder Frau/ und die nach Deinem Sinn/  
Dich/ mit der Medicin, entzückende curaret.

Samuel Schwäbisch/ Vr. Sil.

Ein Tugend, Kunst und Fleiß sich in die Höhe schwingen;  
Wenn Klugheit und Verstand, Verdienst und Ruhm be-  
frönt;  
Da läßt es sich mit Lust der Wünsche Bepräuch bringen/  
Da wird der Neid verlacht, die Tadelsucht verhönt;  
Das zeugt Wohl-Edler Horn an Deinem Ehren-Feste/  
Da Dir der Doctor Hut wird rühmlichst aufgesetzt,  
Mein Wunsch den Du hier siehst an Versen nicht der beste/  
Doch wohl an Kunst und Pflicht, weil Die kein Fleck verleckt.  
Die propre Linden-Stadt, die Sachsen Leipzig nennt/  
Des Paradieses Bild, der Annuth Lust-Nevier/  
Die sich vor Herrlichkeit bald selber nicht mehr kennet/  
Weil aller Überflusß im Allem wohnt in ihr/  
Die ließ Dich Segens-voll der Meditrine-Lehren/  
Galenis Heimlichkeit und Paracelsi Kunst/  
Aus wacker Männern Mund' in reicher Menge hören/  
Du hörtest nahmest zu studirtest nicht umsonst;  
Denn gabest Du Adieu dem edlen Pleiß Athene,  
Als Wiz und Fleiß in Dir der Sehnsucht Zweck erhielt/  
Besuchtest diesen Ort und dessen Musen-Söhne/  
Der mit dem Doctorat Dein lebt Verlangen stillt.  
So viel als Schmerzen sind die Menschen Leiber plagen;  
Als der Morbonæ-Reich nur Krankheits-Arten hegt;  
Als alte Weiber sich mit Helfungs-Mitteln tragen;  
Als Pfuscherey betrügt die zu curiren pflegt;  
So vieles Wohlergeh'n so vieles Heyl und Glücke/  
Wünsch ich Wohl-Edler Freund, Dir zu dem großen D;  
Gott gebe Dir auch bald die hulden Liebes-Blicke/  
Dafß auf dem Doctor-Hut ein Myrthen-Cräntzen steh!

Mit diesen wenigen Strophen legte sein Devoir  
bei dem Herrn Doctorando ab

Christian Benjamin Mann, LL. Cult.  
Breg. Sil.



**T**E Medicinam  
Dum penetraſti,  
Cura retoſfit  
Docta legendi.  
Te Deus altam  
Duxit ad artem  
Qua modo poſſis  
Solveſe morbos.  
Hinc labor ante  
Quamvis amarus  
Jam tamen affert  
Dulcia mella.

Ardua vincis,  
Te neque flexit  
Blanda voluptas  
Linquere Muſas.  
Sed ſubeundo  
Mente labores  
Tu ſuperasti  
Gnавiter omnes.  
Gratulor inde  
Vivat in ævum  
Laus tua ſemper  
Nefcia mortis.

*Hecce Prenobilissimo DNO. Doctorando, ſummuſ  
honoris Cacumen ascenſuro gratulabundus ap-  
ponere debuit voluit*

G. STUBBE,  
LL. Studioſ. Muncheb. March.



00 A 6271  
EJ

VD18


ULB Halle  
003 571 882

3




f





Farbkarte #13



Q. D. B. V.  
SERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

DE

# NÆ SECTIONIS SU IN SENIBUS,

Quam

AUXILIANTE DEO

&

SISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU  
in

REGIA VIADRINA,

PRÆSIDE

## JOH. GEORG. à BERGEN,

ED. DOCT. & PROF. PUBL. ORDIN.

RE AC PRÆCEPTORE SINGULARITER COLEND<sup>O</sup>,  
DEVENERANDO,

### PRO LICENTIA

DOS IN ARTE MEDICA HONORES

RIVILEGIA LEGITIME IMPETRANDI,

ID DIEM XXIV. MAJ<sup>I</sup> A. MDCC XXVI.

Placido Examini submittit

AUTHOR

## JOACHIMUS HORN,

Beescov. Marchicus.

ad VIADR. Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII, Acad. Typ.

XXIII.